Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Publii Terentii Comoediae sex

Terentius Afer, Publius

Francofordiae ad Oderam, 1606

Actvs IIII. Scena III.

urn:nbn:de:bsz:31-139622

Visual Library

ACTVS IIII SCENA III.

Iambici quadrati acatalectici, & vnus ſenarius.
Trochaici quadrati acatalectici, & vnus hypercatalecticus.

Clinia, Syrus.

NVlla mihi res poſthac poteſt iam interuenire tanta,
Quæ mihi ægritudinem afferat: tanta hæc lætitia orta eſt.
Dedo patri me nunc iam, ne frugalior ſim, quàm volt.
Sy. Nihil me fefellit: cognita eſt, quantum audio huius verba.
Iſtuc tibi ex ſententia tua obtigiſſe lætor.
Clin. O mi Syre audiſtin' obſecro? S. quid ni? qui vſq; vnà affuerim.
Clin. Cui æque audiſti commodius quicquam eueniſſe? S. nulli.
Clin. atq; ita me Dij ament, vt ego nunc non tam meapte ſua cauſa
Lætor, quam illius: quam ego ſcio eſſe honore quouis dignam
Sy. Ita credo: ſed nunc Clinia age, da te mihi viciſſim:
Nam amici quoq; res eſt videnda, in tuto vt collocetur,
Ne quid de amica nunc ſenex. Clin. ô Iuppiter Sy. quieſce.

Clin.

Clin Antiphila mea nubet mihi. S ſiccine me interloquere?

Clin. Quid faciam Syre mi? gaudeo: fer me. Sy. fero hercle verò.

Clin. Deorum vitam adepti ſumus. Sy. fruſtra operam hanc opinor ſumo.

Clin. Loquere, audio. S. at iam hoc non ages Clin. agam. S videndum eſt inquam,

Amici quoq; res Clinia tui in tuto vt collocetur:

Nam ſi nũc à nobis abis, & Bacchidẽ hic relinquis,

Noſter reſciſcet illico eſſe amicam hanc Clitiphonis:

Si abduxeris, celabitur itidẽ, vt celata adhuc eſt.

Clin. At enim iſtoc nihil eſt magis Syre meis nuptijs aduorſum:

Nam quo ore appellabo patrem? tenes, quid dicam? S. quid ni?

Clin. Quid dicam? quam cauſam afferam? S. quin nolo mentiare.

Apertè, ita vt res ſeſe habet, narrato. Clin quid aũ? S. iubeo.

Illam te amare, & velle vxorem, hanc eſſe Clitiphonis.

Clin. Bonam atq; iuſtam rem oppidò imperas, & factu facilem.

Et ſcilicet iam me hoc voles patrem exorare, vt celet

Senem noſtrum. Sy imò vt recta via rem narret ordine omnem. Cli hem,

Satin' ſanus es, & ſobrius? tu quidem illum planè prodis.

Nam qui ille poterit eſſe in tuto? dic mihi.

Senari9. Ridicula exultatio ſerui in conſilio periculoſo, quod longe ſecus cadit quàm ipſe ſibi pollicetur.

Sy. Huic equidem conſilio palmam do: hic me magnificè effero,

Qui vim tantam in me, & poteſtatem habeam tantæ aſtutiæ,

Vera dicendo, vt eos ambos fallam, vt cum narret ſenex

Veſter noſtro, iſtam eſſe amicam gnati, non credat tamen.

Clin. At enim ſpem iſtoc pacto rurſum nuptiarum omnem eripis:

Nam dum amicam hanc meam eſſe credet, non committet filiam.

Tu fortaſſe, quid me fiat, parui pendis, dum illi cõſulas.

Alias, ex interprete, proh:

Sy. Quid ✠ (malum) me ætatem cenſes velle id aſſimularier?

Vnus eſt dies, dum argentum eripio, pax, nihil amplius.

Clin. Tantum ſat habes? quid tum quæſo, ſi hoc pater reſciuerit?

Sy. Quid, ſi redeo ad illos, qui aiunt, quid ſi nunc COELVM RVAT?

Clin.

Clin. Metuo quid agam. Sy. metuis? quaſi non ea po
teſtas ſit tua, (lam.
Quo velis in tempore vt te exoluas, rem facias pa-
Clin. Age, age, traducatur Bacchis. Sy. optume ipſa
exit foras.

ACTVS IIII. SCENA IIII.

BACCHIS, CLINIA, SYRVS, DROMO, PHRYGIA ancilla.

Satis pol proterue me Syri promiſſa huc indu- xerunt: Iamb. quadrat. catal. vnus hypercatalectic9
Decem minas, quas mihi dare pollicitus eſt, quòd ſi is nunc me
Deceperit, ſæpè obſecrans me, vt veniam, fruſtra veniet,
Aut cum venturam dixero, & conſtituero, cum is certè
Renunciarit, Clitipho cum ſpe pendebit animi,
Decipiam, ac non veniam: Syrus mihi tergo pœnas pendet.
Clin. Satis ſcitè promittit tibi. Sy. atqui tu hanc iocari credis?
Faciet, niſi caueo. Ba. dormiunt: ego pol iſtos commouebo.
Mea Phrygia audiſtin' homo iſte modo quam villam demonſtrauit
Charini? Ph. audiui. Ba. proximam eſſe huic fundo ad dextram? Ph. memini.